



* * *

P *Rædam, è togatæ Palladis ditissimis
 Castris relatam, quò decentiùs feram,
 Quàm cum Neoclide in sinum matris meæ?
 Ut omne flumen, unde primò effluxerat,
 Eò meatu replicatò refluit,
 Sic rivus ille limpidissimo suum
 Fontem salutat osculo ac originem.
 Dii Penates, O imago vivida
 Per Vos virentis Patriæ! permittite,
 Vestris ut aris prima libem munera.
 Fovistis has, rigastis has, quas offero
 Fruges, proinde grata poscit æquitas,
 Ut quod favor Vester serebat, id metat.
 Minora Vestris nostra sunt hæc munera,
 Minusq; tantis hostia hæc virtutibus
 Meritisq; digna, sed sinatis, ut cliens
 Cui thura desunt, luridâ litet molâ!*